

1590 pore eruptus fuisset, quo illius prudentia ac virtute maxime opus erat, ut pote qui ad res magnas natus, annorum quinque spatio, quo pontificatum gesserat, multa præclara conficeret; ditiones ecclesiasticas ab extorum colluvione liberasset; ingentem auri vim coegisset; urbem egregiis substructionibus exornasset; Apostolicæ Sedis decus dignitatemque retinuisset. Summo ejus obitu dolore Veneti correpti, quod eum Pontificem amisissent, cuius propensam voluntatem, ac mirificam benevolentiam gravissimis in rebus experti fuerant; qui omnia consilia actionesque Senatui communicaverat, ejusque sententiam arduis in negotiis exquisiverat. Ei viventi cum populi Romani decreto, ad egregiam gestorum suorum memoriam posteris transmittendam, statua in Capitolio erecta esset, eam Romani nobiles aliquot, cum popularium manu, quos fortasse Xysti severitas attigerat, magno tumultu dejicere ac prostertere sunt conati. Re ad Purpuratorum collegium delata, statim Columna Conestablius, Marius Sfortia missi, qui furentem multitudinem sisterent, neque optime merito Pontifici iniuri eam notam permitterent: quod egregie præstitere. Eo casu populus Romanus permotus sanxit, ne in posterum viventi Pontifici statuas excitare liceret; qui secus tentassent, variis poenitentia propositis, plecterentur. Patres e Senatus consulto literas ad Cardinalium collegium dedere, quibus & Xysti obitum dolebant, & Purpuratos hortabantur, ut consueta animi generositate & constantia turbulentis ac difficillimis temporibus in summo Pontifice creando uterentur: quæcumque ad sacrosancti illius collegii securitatem ac dignitatem spectarent, deferebant.

*Populus
Romani de-
cretum de
statuis Pö-
tifici viven-
ti non eri-
gendas.*

*Urbani
VII. Pon-
tif. electio.*

Novendialibus exequiis habitis, Purpuratisque quatuor ac quinquaginta coactis, omnium consensu, Joannes Baptista Castaneus decimo septimo kal. octobris Pontifex renuntiatus, Urbani septimi nomen assumpsit: summa omnium approbatione ac lætitia ad eam dignitatem elevatus, quod vitæ integritate, rerum usu, ingenii dexteritate excelleret, atque nulli parti addictus, commune bonum, aliis posthabitatis, amplexurus censeretur. Senatus lætitiam auxit, quod, pro Gregorio XIII. legatione apud Rempublicam functus, omnium ordinum gratiam benevolentiamque sibi conciliaverat. Quatuor statim ad eum, qui gratulationis munus obirent, præcipui Senatores lecti, Jacobus

Fu-